ACAD.
LUGD. BAT.
BIBL.

Nobilissime, celeberrimeque Hugeni,

intellexi ex praestantissimo viro D. Vander Burch, desiderari scriptorem, qui res superiore anno ab Illustrissimo Principe fortiter ac feliciter gestas seculo suo & posteritati donet: Quod ut fiat, arbitror necessarium prorsus esse, ne tanta facinora nesciant ij, quorum bono illa suscepta et perfecta sunt. Me quod attinet, eiusmodi iam Spartam nactus sum, quae totum hominem requirit, quae lectionibus cum publicis, tum privatis, necnon disputationibus & excolendis studiosorum ingenijs adeo me fatigat, ut vix in ullum amoenioris studij diverticulum me deflectere sinat. Etiam interpellationes amicorum hic loci eas horas suffurantur, quas magis serijs meditationibus impendi cuperem. Quod si Atlantis est, humeros prius suos explorare, priusquam eos coelo fulciendo commodet, sane sentio ego, quam sim isti oneri impar. Mediocre carmen pangimus, at historici laudem plane refugio. Prudentia hic opus, et stylo ad istas res idoneo, & hoc cavendum, ne poetam in historia agnoscas, quod Floro multis in locis contigit. Etiam aliorum exemplo didici, quam difficile sit res gestas gravi oratione enarrare, assuetis cadere. Et quis ego, qui eiusmodi argumentum tractare audeam delicato hoc seculo, quod vel ob leviter pravè sectam dictionem stomachatur. Si lectorum curiositati satisfacere non potuit ingens illud aevi nostri lumen, quod optime nosti, egone famae periculum subibo in eadem arena? aut haberi cupiam is, qui exactius aliquid se scribere posse confidat? Non est cuiusvis viri Iovem effingere, nec cuiusvis Principe tanto digna scribere. Loquor ingenuè, non hac mihi vis, nec tantarum rerum capax animus. Mihi nulla rura, ut ad Horatij verba alludam, at spiritum Latiae tenuem Camoenae Parca non mendax dedit. Hoc summi Numinis demenso contentus statui me meo pede metiri. Non omnibus omnia dederunt Dij. alijs πολεμήϊα ἔργα, alijs κίθαριν et ἀοιδὴν concessere. Potuit olim a

Hug. 37.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Barlaeus) 56
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/765

Flacco Agrippa, ut sua & Caesaris bella scriberet. Sed excusavit se prudenter Flaccus Oda illâ, cuius initium: Scriberis Vario fortis &c. Quanto magis nobis dicendum, Nos, Vir magne, neq. haec dicere, nec truces Traiecti tumulos edere nostrij, Conamur, tenues grandia: dum pudor Imbellisq. lyrae Musa potens vetat Laudes egregij Principis & Ducum Culpa deterere ingenî. Certè alium vocat iste labor, cui pectore pleno Defluat historiae felix opulentia venae. Non deero ego meis partibus, sive Induciae belli portas claudent, sive eas claudi nolet Foederati Belgij sub bellicoso Principe felicitas. Vale Vir summe, & hanc meam ταπείνωσιν boni consule. Amstelod. iv Non. Martij. CIↃIↃCXXXIII

Nobil. Tuae

observantissimus cultor

Caspar Barlaeus.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Barlaeus) 56
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/765

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Barlaeus) 56
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/765

Nobiliſsimo, ampliſsimo,
doctiſsimoq. viro D. Conſtantino
Hugenio Eq. Domino in
Zulichem, Ill. Principi à
ſecretis

Hagam

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Barlaeus) 56
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/765